



## **Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia**

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis  
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium  
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum  
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed  
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

Sect. VIII. Admiraciones super Christo nato, & de rerum in eo  
dissilimimarum conjunctione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)



Hic Augustinus ad amandum excitans, Ama, inquit, amorem illius, qui amore tuo amoris descendit in uterum virginis, & ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjugendo lumen sue aeternitatis limbo tuo aeternitatis. Beatus, Domine IESU, qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Minus autem te amat, o suavis Infans, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. Qui vere amat, non laborat, aut ipsum amat laborem. Solus amor difficultatis nomen erubescit. Nesc tam durum quidquam aut ferreum, quod ignis divini amoris non emolliat. Ama Deum, & fac quod vis.

§. VII. De ingrato hominum animo adversus Christum natum.

Expendamus paululum, qua humanitate confanguine Christi cognatum suum exceperint. Erant, non dubitem, plurimi & familia David Bethlehemi, qui eo venerant a Palaestina Praefide censendi. Illorum multi (neque hoc dubium) locupletes, & bene nummati, quibus de domo, veste, mensa optime prospectum. Ex his tamen omnibus inventus est nullus, qui recula vel minima egentissimum tribulem suum, & cognatum Christum juverit; nullus qui vel in ultimas domus suae latebras receperit. Singuli & fores suas, & arcas suas, & sua penora servabant obsecrata Christo. Utinam habuissent vel sola refracta pectora, in ceteris facile veniam reperissent!

Quam ingratus porro animus Iudaeorum ceterorum, & peculiariter Bethlehemitarum omnium. Sileamus beneficia innumera, quibus hunc populum affecit Deus: consideremus illa solum quae praesentis sunt instituti. En ex eorum nobilissima familia nascitur, ad illos venit, in illorum urbibus & domibus habitaturus, inter illos sicut unus ex illis vitam acturus, monarcha tantus, & ille ipse Dominus, qui eorum infantes a crudeli Pharaonis imperio, & periculosis Angeli sanguinolenta rhomphaea liberavit. Neque vero cum erectis faucibus, aut grandi supercilio ad illos venit, sed infantuli forma, habitique mendiculi angustum & vile rogat diversorium. Sed nullus audit, nullus admittit; excludunt & ablegant omnes; porro inde abire jubent ingratum hospitem. Nemo est, qui cum ab Herodis fida conetur defendere. Clamant omnes: Hunc nescimus unde sit. Dicitur illis: IESUS a Nazareth est; clamant iterum: A Nazareth potest aliquid boni esse? Turbantur omnes cum Herode, qui sibi plurimum congratulari debuissent. Simul omnes vociferantur: si hunc dimittis, non es amicus Caesaris. Omnis, qui se regem facit, contradicit Caesari. Non habemus regem nisi Caesarem.

O liberales cetera Iudaei, peregrinum etiam hunc pauperillum admittite! Ecce infantem se gerit, & quidem pauperrimum, & quidem infantum omnium postremissimum. Nullum ab hoc Infante periculum est ulli regno: daturus regna venit, non erepturus; admittite.

Enimvero Bethlehemitas praeter omnibus Hebraeis singulariter demereri, sibi que conciliare voluit caeli Dominus, suo Natali, suisque incunabulis: voluit illos Angelorum descensu & cantibus, pastorum accursu & plausibus, Regum adventu & muneribus, caelo terraeque facere honorabiles. At ipsi spreverunt, repulerunt, ejecerunt, ad bestias damnarunt suum Messiam. Ingrati cives! imo immisericordes & impii cives.

Sunt qui eos defendere nitantur, & dicant: Scire non poterant tantum Principem sui medio nasci. Scire poterant, o bone, sed credere volebant. Et quoties illis praecipit Deus, ut advenam & peregrinum colligerent, domo reciperent, hospitio fove-

rent? Si Messiam hunc vestrum, o ingrattissimi Bethlehemitas, nosse non poteratis, aut quod verius, nolebatis; certe peregrinum hunc, eumque pauperem agnoscere debueratis. At ex vobis omnibus, qui vel angulum suae domus huic indigenti patefecerit, nullus erat, nullus, nullus, nullus. Ad unum omnes aut invidia laborabant, aut immisericordia, & ingrati animi detestando crimine.

Sed haec totius orbis in suum Conditorum ingrattissima fuit perfidia, Rex aliquis aut Caesar nascitur? Orbis applaudit & gratulatur, missilia ignita & flammam pacales volant, dies festi aguntur, Iudi & triumphum instituntur, exultat regnum gaudio. Nascitur Christus? nemo se movet. Nec eo solum tempore, quo nascebatur Christus, torpebant homines; posterioribus quoque saeculis multos tenuit hic torpor. Et nos quoque hoc aetate quam multi sunt, qui Domini IESU natalem diem non nisi lautiore mensa, & nitidiora veste venerentur. Haec omnis gratiarum actio est pro immenso beneficio.

Et quae demum huic divino Pueri mundus natalitia mittit munera? In diadema vepres, laceam chlamydem pro purpura, arundinem pro sceptro, columnam pro foro, flagra pro unguentis, funes pro armillis, clavos pro annulis, catenas pro torquibus, pro nectare acetum, sel pro ambrosia, pro folio crucem. Qui Christum amant, haec cum Christo tolerare non reculant.

§. VIII. Admiraciones super Christo Nato, & de rerum in eo dissimularum conjunctione.

En ille Rex fidei, ille rerum omnium praeoptens Deus, Virgunculae ducit ubera, qui pascit cunctas animantes: qui caelum hyacinthinam velat chlamide, qui terram smaragdina pallia induit, qui vestit omnia, nudus jacet in praesepe, totus est in pupulae sinu, quem nulla capit terram, in intercapendo: falciolis stringitur libertatis vindex: Decembre gelu tolerat, & friget mentium castarum pervigil flamma; ploratus iterat moestorum perenne solatium; inops est caeli terraeque monarcha: in tenebris habitat, ad cuius nutum sidera expallescent; inter bestias cubat, in cuius humeris sedet imperium orbis.

En ergo saturitatem esurientem, flammam frigentem, laetitiam moerentem, fontem sitientem, abundantiam egentem. Vide lucem in tenebris splendescentem, Solem noctu fulgentem, ignem sub nube latentem. En ex rivulo purissimo profluit mare, ex palmitate vitis nascitur inumbrans orbem, & stella sol oritur, & minimo centro infinita sphaera confurgit, & nubecula immensus splendor emicat. Aspice conjunctionem hanc majestatem cum humilitate, virtutem cum infirmitate, aeternitatem cum mortalitate; caelum cum terra, cum summis infima. En ut fons exaruit, ut gaudium ingemuit, et ut pulchritudo expalluit, ut potentia elanguit; videte, obscuro, ut aeternum Verbum obmutuit.

Deus ille, qui transulit montes, qui commovet terram de loco suo, qui precipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo, qui extendit calos suos, & graditur super fluctus maris, qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Deus ille vivens, & sempiternus, qui mensus est pugillo aquas, & calos palma ponderavit; qui appendit tribus digitis molem terra, & libravit in pondere montes, & colles in statera. Ecce, gentes quasi stilla stula, & quasi momentum statera repurate sunt; ecce, insulae quasi pulvis exiguis. Omnes gentes quasi non sint; sic sunt coram eo, & quasi nihilum & mane reputate sunt ei. Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terra, de quo canunt oracula: Non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientia ejus. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium

Handwritten notes in the right margin, including 'UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN' and other illegible text.



chium ejus dominabitur. Ille ipse Dominus exercituum videtur jam d'fecisse, & multum laborare, jam à pauperculus opilionibus investigatur & invenitur, jam quidè venit, sed infirmus, & brachia ejus ligata sunt.

Deus in cujus manu anima omnis viventis, & spiritus univèrse carnis hominis. Deus excelsor celo, qui super stellarum verticem sublimatur, qui circa cardine cali perambulat. Apud quem potest, & ter or, qui facit concordia in sublimibus suis, cujus militum non est numerus. Deus deorù, Dominus, cujus sunt omnes fera silvarum, jumenta in montibus & boves, qui cognovit omnia volatilia cali, cujus est orbis terra & plenitudo ejus. Dominus Deus virtutum, qui sedet super Cherubim. Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos; cujus scabellum pedum adorandum est, quoniam sanctum est. Dominus Deus noster, qui amictus est lumine sicut vestimento; qui extendit celum sicut pellem, qui regit aquis superiora ejus: qui ponit nubes ascensum suum, qui ambulat super pennas ventorum: qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem; qui fundavit terram super stabilitatem suam, qui omnia fecit in sapientia, cuius omnia opera magnificentata sunt. Dominus Deus exercituum, Deus solus omnium regnorum terra, qui fecit celum & terram. Cui celum sedes, & terra scabellum pedum ejus. Hic ille ipse jam inter pedes jacet, prælepiolo cingitur, linteolis ambitur, cavea clauditur, ab hominibus tangitur, virgineo lacte pascitur. Et n'onne, ô Deus noster, tu es ille ipsissimus, qui per Hieremiam Prophetam promulgari justitii: Putasne Deus è vicino ego sum, & non Deus è longe? si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? Numquid non celum & terram ego impleo? dicit Dominus. Verè jam ô amantissime Domine, verè Deus è vicino es, nec adèd multum loci occupas, qui angustum prælepiolum non satis explēs.

Isa. c. 37. vers. 16. Isa. c. 66. vers. 1.

Hier. c. 23. v. 23. & 24.

En igitur ille Princeps pacis, qui secenties in lege prælepiolo Dominus exercituum appellatus; ille ipse qui Moyfi leges dedit inter fulgura & tonitrua; qui pluit super Sodomiam & Gomorrah sulphur & ignem de celo, jam sine sulfure & igne, sine tonitru & fulmine in obscuro silentio adest ipsus. Hic ille Imperator est, cujus armamentaria paratùs bellici & telorum plena, jam sine tumultu & strepitu velut in occulto venit nitissimus & hominum iam sumus. Arrogantiam retundens Seneca, Nimis nos suspicimus, inquit, si digni nobis videmur, propter quos hæc tanta moveantur. Qui hominem censuit indignum cui celestia corpora famularentur, quid demum diceret ad hæc, si celestium corporum conditorem ipsum cerneret in vilem sese servulum obtulisse, piscatorum pedes lavisse, inter latrones pependisse? Et quàm admirandum illud, hunc Infantem usù rationis & intelligentiæ perfectissimo fuisse, atque illius virorum esse potest; nihilominus omnem oris & corporis compositionem, omnem motum, omnemque actionem nihil ab infantia diverſi habuisse, idque non imitatione, aut simulatione, sed re ipsa, ut indoles aliorum est Infantum.

Gen. c. 19. vers. 24.

Hoc est cor-pora calistio.

Eucherius Lugdunensis Præsul in hom. vixit is anno 440.

Exclamat Eucherius: O pietas immensa, ô humilitas ineffabilis, ô sacramentum inenarrabile! Deus homo sit, æternus temporalis, immensus localis, immortalis passibilis; panis involvitur, qui cali ambitu non continetur. Quis audivit unquam tale? quis vidit huic simile?

Zob c. 9. v. 13

En ergo, hic ille Infans est, cujus ira nemo potest resistere, & sub quo curvantur, qui portant orbem. Hic ille est, qui tonabit voce magnitudinis suæ, & non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus: tonabit in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia, qui facit mirabilia magna solus. Et quis aspexit, quæ hic ipse bellator Dominus præparavit in tempus hostis, in diem pugna & belli? Iam tamen mansuetissimus adest, & placidissimus Princeps pacis. Iam illud est ævi, quo gladii consistuntur in vomeres, & lanceæ in falces. Iam gentibus pacem loquitur, nam penitentia promulgat, quâ obtinetur vera pax,

Idem c. 37. v. 4. & 5. Psal. 133. vers. 4.

Iob. c. 38. vers. 23.

Isa. c. 2. v. 4.

& regnum Dei annuntiat, quod est æterna pax. Et Claudi aded hic pacis auctor amabit pacem, ut vel inter duos suo nomine conjunctos futurus sit ipse tertius. Nemo suam ipse pacem turbet, nam est non domus tota vult tota civitas pacem admittat, satis est, si duo solum Christi nomine consentiant, tertius illorum erit hic amator pacis, Christus Dei Filius, pax, serenitas mentis, amoris vinculum, confortium charitatis. Hæc est, quæ simulates tollit, bella componit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, & scordes sedat, inimicos concordat, cunctis placidissima. Nec extolli novit, nec inflari. Hanc qui accepit, teneat; qui amisit, repetat. Ad hæreditatem Domini non poterit pervenire, qui pacem noluerit observare. Nec concordiam habebit cum Christo, qui discors esse voluerit cum Christiano. Disertissime Augustinus, Fac justitiam, inquit, & habebis pacem, ut osculentur se justitia & pax. Si enim non amaveris justitiam, pacem non habebis. Amant enim se duo ista, justitia & pax: osculantur se, ut qui fecerit justitiam, inveniat pacem osculante justitiam. \* Due amice sunt: tu fortunam vis, & alteram non facis. Nemo est enim qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari justitiam. Interrogamus homines: Vultis pacem? Vno ore tibi respondet totum genus humanum: Opto, cupio, volo, amo. Ama & justitiam, quia due amice sunt justitia & pax. Justitia & pax ipse se osculantur. Si amicam pacis non amaveris, non amabit te ipsa pax, nec veniet ad te. Quid enim magnum est desiderare pacem? Quisvis malus desiderat pacem. Bona enim res est pax. Sed fac justitiam, quia justitia & pax se osculantur, non ligant. Tu quare ligas cum justitia? Ecce justitia dicit tibi: Ne fureris, & non audis. Ne adultereres, & non vis audire. Non facias alteri, quod tu pati non vis. Inimicus es amica mea, dixit tibi pax, quid me queris? Amica sum justitiae: quemcumque invenero inimicum amicae meae, non ad illum accedo. Vis ergo venire ad pacem? fac justitiam.

Ergo pacem sequimini cum omnibus. Si Dei vocantur filii qui pacem amant, procul dubio satana sunt filii qui pacem turbant. Cum vitis nostris, non cum fratribus nostris litigemus. \* Pax Christi exultat in cordibus nostris.

S. I. X. De beneplacito æterni Patris in nato sublepio.

Questionem ponens Phariseis de seipso Christus, Quid vobis videtur, inquit, de Christo, cujus filius est? Ad questionem hanc variè responsum. Phariseis hoc unum occurrit dicere, Filium esse David. Non aded malè. Ita clamaverunt cæci: Miserere nostris, Fili David. Ita Chananæa: Miserere mei, Fili David. Ita turbae, & inter has pueri: Hosanna Filio David. Ita Angelus: Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Ad questionem istam Judæi cæteri responderunt: Maria & Iosephi esse filium. Ita illi passim dicebant: Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? Nonne hic est Jesus filius Ioseph, cujus non novimus patrem & matrem? Ad eandem questionem longè aliter Petrus, Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi. Ad hanc ipsam questionem Pater æternus pronuntiavit de celo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre. Virgo Dei genitrix, quid aliud ad questionem hanc responderit, quàm paternum illud: Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.

Et quid nos omnes alii ad hanc questionem habemus dicere? Quis ejus est animi, ut animosè ault respondere: Meus est filius, meus est, meus, meus. Respondi firmamentum est Christi dictum: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in celo est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Hoc Christus non in speciem, sed politis ambagibus serid, rectissimus in dicendo pronuntiavit: Quisquis voluntatem Patris mei fecerit, hic non solum meus frater, & mea soror, sed & mater